



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. XCIX. An certitudo prædestinationis, & reprobationis cum libertate
nostra recte constet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

hoc non tollitur prædestinationis certitudo.

Explicatio articuli.

Conclusio est. Prædestinatio certissima est, & infallibilis, voluntati tamen nostre non imponit necessitatem; idemque de reprobatione est asserendum. Confirmationem huius conclusionis remittit S. Thom. ad qu. 22. art. 4. ubi probatum manet, providentiam in universum certam esse: ex illa tamen arbitrii libertatem non lædi. Quare cum prædestinatio, & reprobatio sint partes providentiæ, eadem omnino de illis ratio erit.

In solutione 3. ostendit S. Doctor, quo pacto prædestinatio Dei mutari nequeat: de hoc tamen nulla nobis futura est disputatio. Iam enim de scientia Dei q. 14. art. 15. & de voluntate q. 19. art. 7. satis diximus; est autem omnino eadē ratio prædestinationis: hæc namque aut sunt operationes intellectus, aut voluntatis, aut utriusque, ut art. 1. huius questionis dictum est. Nunc ergo de sola certitudine prædestinationis, & reprobationis differemus.

DISPUTATIO XCIX.

An certitudo prædestinationis, & reprobationis cum libertate nostra rectè constet.

Statuitur doctrina Catholica contra hereticos, cap. 1.
Opiniones Durandi, Caietani, & Ioannis Medina, c. 2.
Quarta sententia antiquorum Scholasticorum, cap. 3.
Quinta & sexta opinio recentiorum, cap. 4.
Dua alia Theologorum opiniones, cap. 5.
Vera sententia, & ratio concordia arbitrii nostri cum præfinitione Dei, c. 6.
Præfinitionem Dei in præscientia non esse priorem determinatione nostre voluntatis, ratione ostenditur, cap. 7.
Corollaria præcedentis doctrinæ, cap. 8.

CAP. VII.

Statuitur doctrina Catholica contra hereticos.

Anequam disputationem propositam accedamus, quædam certa & indubitata in hoc cap. præmittenda sunt. Primum est eandem esse difficultatem de prædestinatione, & providentia, atque de voluntate Dei, quam in hunc locum reservavimus; tamen si non sit eadem de scientia speculativa, & voluntate: nam multo facilius scientia Dei cum nostra libertate conciliari potest, quam voluntas divina. De scientia autem iam à nobis satis superque dictum est disput. 68. Porro eandem de voluntate, providentia & prædestinatione difficultatem esse patet: quia licet aliqui putent, providentiam, & prædestinationem, quæ est illius pars subjectiva, esse actus intellectus, dicunt tamen esse actus intellectus practici per modum imperii, qui ex motione voluntatis pendunt. Cum ergo supponant voluntatem eisdem rei, eadem omnino erit, de voluntate, providentia, & prædestinationis difficultas.

Secundo siue in voluntate, & mente Dei sit unus tantum actus providentiæ, siue sit duplex, alter

Respondeo dicendum, quod prædestinatio certissime, & infallibiliter confirmatur, quod effectus eius ex necessitate proveniat. Dictum est enim supra, quod prædestinatio est pars providentiæ. Sed non omnia, quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt: sed quædam contingenter eveniunt secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut supra ostensum est. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus. Ad hoc etiam consideranda sunt quæ supra dicta sunt de divina scientia, & divina voluntate, quæ contingentiam à rebus non tollunt, licet certissima & infallibilia sint.

Ad primum ergo dicendum, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter. Vno modo ex prædestinatione divina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim mere-mur quodammodo nostrum est. Et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundum illud Iob 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Sic enim in locum angelorum cadentium substituti sunt homines & in locum Iudæorum gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit quod de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis tam a se quam ab aliis factis.

Ad secundum dicendum, quod licet sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum, tam hoc est impossibile positum prout scilicet ponitur eum esse prædestinatum. Unde non sequitur quod prædestinatio falli possit.

Ad tertium dicendum, quod cum prædestinatio includat divinam voluntatem, sicut supra dictum est, quod Deum velle aliquid creatum est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem divinæ voluntatis, non tamen absolute ita dicendum est hic de prædestinatione. Unde non oportet dicere, quod Deus possit non prædestinare quem prædestinavit in sensu composito accipiendi, licet absolute considerando Deus possit prædestinare, vel non prædestinare, sed ex

Observatio prima.

Secundo.

alter

alter providentia, alter gubernationis ut insinua-
re videtur S. Thom. supra q. 22. art. 3. de quo iam
ibidem dictum est, eadem omnino erit contro-
versia. Vtque enim ille actus vel est voluntatis,
vel si est intellectus, supponit operationem vo-
luntatis: erit igitur æque difficile, cum vno atque
cum altero nostram libertatem conciliare.

Tertio observandum est, præter errores à Co-
bis enumeratos supra disp. 63. c. 1. eorum qui no-
stram libertatem auferbant, fuisse alium pecu-
liarem, eorum, qui dicebantur Prædestinati, ut
refert Sigebertus in suo Chronico sub anno Domini 415.
Waldensis tom. 1. art. 1. cap. 21. & Sanderus libr. 7. de
visibili monarchia, qui asserēbat, nec pie viventibus
opera prodesse, si ad mortem destinati sunt: nec
contra, impiis obesse, quod male vivant, si ad vi-
tam prædestinati. Quod errorem Galli imposue-
runt Augustino, ut colligitur ex Prospero lib. ad Ca-
pirula Gallorum ad cap. 6. & in epist. ad August. quæ
habetur ante lib. de prædestin. Sanctior, Hi ergo
heretici ex Dei prædestinatione necessitatem salutis,
v. l. damnationis inferebant, nec ullam ad oppo-
situm in nobis manere libertatem putabant. Re-
fert autem hunc errorem Waldensis sub Cæle-
stino primo, Sanderus sub Leone. Sed, licet vi-
guerit tempore Leonis, non est dubium ortum
fuisse tempore Cælestini, ad ipsum enim Prosper
co. fugit, licet ex epist. Cælestini constet, ut con-
tra Gallos suam, Augustinique doctrinam aucto-
ritate Pontificia tueretur. Sequenti vero sunt huc
errorem in Hollandia, & Phrisia nonnulli anno
Domini 548. & damnatur inter errores Wi-
clephi, & Ioannis Hus in Concilio Constantien-
si sess. 15. & in Conc. Trid. sess. 6. can. 17.

Fuit alius error Ioviniani, ut refert Aug. de ha-
res. ca. 82. & Hier. lib. 1. adversus Iovinianum post n. 7.
qui asserēbat, baptizatum non posse iam amplius
peccare. Damnatur etiam in Concil. Trid. sess. 6.
can. 23. ubi vniuersum anathema dicitur ei, qui
docuerit, vel fenserit, semel iustificatum iam am-
plius peccare non posse.

Quocirca inter Catholicos indubitatum est,
Dei voluntatem, providentiam, & prædestinatio-
nem nihil prorsus nocere voluntati nostræ, sed
voluntatem etiam non solum ex se, & natura
sua virtute liberam esse, verum etiam nullo de-
creto, aut præfinitione Dei impediri. Cum vero
loquimur de libertate, intelligimus, ut disput. illa
68. c. 1. libertatem contradictionis, qua potest
quis velle, & non velle, & libertatem contrarie-
tatis, qua potest velle, & nolle, velle hoc, & con-
trarium. Enitendum igitur pro virtute nobis est,
ita nostram libertatem innatam defendere, ut ex-
trinseco decreto, & voluntate Dei aliquo modo
non lædatur. Vt enim in ea disp. ca. 1. dicebamus,
fuerunt aliqui heretici, qui concedebant volun-
tatem ex se liberam quidem esse, sed præscientia,
aut voluntate Dei impediri, & necessitatem quan-
dam contrariam suæ libertati contrahere, quod
etiam absurdum est: cumque Catholici omnes
eodem modo asserant libertatem nostram, variat
tamen in assignanda ratione, & modo, quo ea cum
voluntate Dei constare possit; quorum varias o-
piniones examinabimus, antequam nostram ex-
plicemus Ratio vero difficultatis, in qua quæstio
inter Catholicos tanquam in cardine vertitur, o-
mnibus est perurgata: Quomodo scilicet cum
voluntate Dei, quæ est causa nostrarum operatio-

num, & in se quidem immutabilis, cui nulla liber-
tas, nulla potentia resistere valet, nostra voluntas
adhuc libera maneat, ut faciat, si velit, oppositum
eius, quod à Deo definitum est.

CAPVT II.

Opiniones Durandi, Caietani, & Ioannis Medina.

Si vera esset sententia Durandi in 1. disp. 1. q. 5. al-
terantis, Deum in tempore cum nulla causa
concurrere, & cooperari, sed secundas causas à
Deo proxime conseruatas per se operari, facile
prædestinatio Dei cum nostra libertate concor-
daret: si consequenter diceremus, in Deo nullam
aliam fuisse voluntatem, præterquam conseruan-
di nostrum arbitrium ad sua opera. Nam si in
tempore finit arbitrium operari, nec cum illo
concurrere, non vult ab æterno cum eo concurre-
re ad operandum. Nullum igitur decretum effi-
cax circa nostra opera speciatim & sigillatim ha-
bebit. Sed si aliqua in Deo voluntas circa illa po-
nenda esset, solum esset voluntas simplicis asse-
ctus, cui repugnare optime potest arbitrium, ut
disp. 83. cap. 4. monstratum est. Verum quia illa
opinio Durandi de concursu Dei ad singulos ef-
fectus nemini probatur, in eo ei nota erroris ab
omnibus innotuit, ut 1.2. q. 79. art. 1. fusius ois-
demus. ideo nec de voluntate Dei eo modo phi-
losophari licebit.

Secunda opinio est Ioannis Medina doctoris Com-
plutensis, ut refert Antonium Corduba loco inferius
allegando: qui dicebat, Deum non operari me-
dia intellectione, & voluntate, sed proxime per
essentiam, per quam ex se indifferens est ad ope-
randum, & concurrendum cum omnibus causis
singularibus, sicut est vniuersalis & communis
causa creata per suam ipsius substantiam, & es-
sentiam. Ex hac vero indifferentia nulla potius
imponi potest necessitas arbitrio nostro, nec mo-
dus propius operandi variari, quem ex se ipso
arbitrium habet: ut satis liquet.

Cæterum quamuis verum sit, ut disp. 80. ca. 2.
explicauimus, Deum non velle aliquid, aut in-
telligere per actum elicatum, & additum suæ es-
sentia, sed per suam essentiam addito solum re-
spectu rationis nostro modo concipiendi: tamen
quia ipsa essentia Dei, quatenus rationem vo-
luntatis & intellectus habet, est principium
rerum omnium ut ibidem ostendimus, id quod
phrasia Scripturæ demonstrat: difficultas semper
manet, quopacto cū essentia Dei, quatenus ha-
bet rationem voluntatis, & decreti, per quod est
causa operationū nostrarum, libertas nostra con-
stare possit: siquidem tali voluntati, & decreto
nullo modo repugnare valet. Ego quidem fateor,
nostram libertatem cum voluntate Dei facilius
conciliari iuxta eorum sententiam, qui dicunt, ac-
tum volendi, & intelligendi non esse operatio-
nem immanentem elicitam, aut libere additam
ipsi essentia: quam si dicamus, esse actum quæ-
dam liberum elicatum: viroque tamen modo co-
nandum nobis est, libertatem nostram cum vo-
luntate Dei tueri.

Tertia sententia est Caietani supra q. 22. art. 4. qui
de providentia loquens, cuius eandem rationem
atque voluntatis, & prædestinationis esse dixit
mus, promittit paucis se satis facturum diffi-
cultati propositæ. At igitur, ex decreto providen-

Sigebertus.
Walden.
Sander.

Prosper.

Alius error
August.
Hieronym.

Cardo diffi-
cultatis.

Ratio diffi-
cultatis mon-
stratur.

tis non sequi euitabilitatem nec ineuitabilitatem nostrae operationis, sed quid medium, quod est, inquit, ineffabile. Verum Caiet. ipsi vocabulis ludere videtur, ut nos eludat, & difficultatem propositam mira taciturnitate potius subterfugiat, quam dissoluat. Quid enim aliud est appellare ineffabile id, quod Dei voluntatem, & prouidentiam in nostris operationibus consequitur, quam rem hanc silentio suppressere? Sed ratione probemus, nihil posse esse medium inter illa duo, vt Caiet. comminiscitur. Quoniam euitabile, & ineuitabile inuicem comparantur: sicut possibile, & impossibile: & ineuitabile idem est, quod non euitabile: & impossibile, quod non possibile: atqui inter possibile, & impossibile nullum est medium: ergo neque inter euitabile, & ineuitabile esse potest. Interrogemus igitur Caiet. hoc modo. Stante Dei decreto, vel possumus euitare opus, vel non possumus: deinde, vel possumus operari, vel non possumus: nam inter haec nullum medium esse potest, cum contradictorie opponantur: si possumus; ergo nostra operatio euitabilis à nobis est: si non possumus; ergo est ineuitabilis. Stante igitur diuino decreto, aut vni, aut alterum de nostra operatione asserendum est; ac proinde medium illud ineffabile frustra Caiet. excogitauit.

CAPVT III.

Quarta sententia antiquorum Scholasticorum.

Antiquiores Scholastici alio modo hanc difficultatem dissolvere conantur. Dicunt itaque Dei voluntatem, & prouidentiam tantae virtutis, & efficacitatis esse, vt licet ei nulla potentia, & libertas creata resistere valeat; omnes tamen causas, quibus cooperatur, suauiter moneat, & iuxta cuiusque naturam aut necessitatem aut libere ad operandum impellat. Quia non solum operatur, quod vult, sed modum etiam, quem vult, in cooperando tenet, & vt varias causas, varios quoque producat effectus. Ita respondent propositae difficultati S. Th. *supra q. 19. art. 8. & q. 22. a. 4. Durandus in 1. d. 42. q. 1. num. 7. Dionysius Carthusius d. 29. q. 2. Capreolus d. 45. q. 1. conclusio 5. Ferrariensis 1. contra gent. c. 85. Driedo opus. de concordia liber. arbit. & praedest. 2. par. c. 3. ad. 1.* Quorum sane doctrina nonnullis Theologis mirum in modum probatur, atque ex ea cum S. Th. locis citatis inferunt, contingentiam, & libertatem operationum nostrarum in liberum solum arbitrium non esse reducendam, sed etiam in Deum tanquam in primam, & precipuam causam contingentiae, propter extimiam illius virtutem, & excellentiam; ne dicamus effectus liberos, & contingentes praeter Dei sententiam euenire.

Hae doctrina vera quidem est, quod attinet ad eius priorem partem; tamen id, quod posteriori loco docet, difficile fit, vt sequenti disput. videbimus. Certum enim est, Dei voluntatem, quod infinita virtutis sit, & cum summa sapientia coniuncta optime posse quamlibet secundam causam, prout illius exposcit natura, ad propriam operationem dirigere, atque eo modo illam mouere, quem nouit ipsi congruere, neque scientiam, aut potentiam ad hoc ipsi deesse. Verum hoc asserere non satis est, vt propositam difficultatem dilua-

mus, & haereticis oblatantibus ora praeludantur. Nam quod Dei voluntas infinita virtutis sit, atque infinita sapientia dirigatur, non satis videtur, vt possit, aut sciat nostram voluntatem libere mouere, si id possibile non est, quando neque potentia eius, neque sapientia id, quod impossibile est, valeat attingere. Porro autem impossibile esse, posito decreto Dei, libere moueri nostram voluntatem, probari videtur hac ratione: Si Dei praefinitio nostram voluntatem praecedat, & semel posita mutari non potest, neque per vllam nostram potentiam ab effectu impediri, efficitur, vt nostra libertas ei resistere, aut contra illam operari nequeat. Quo ergo modo, supposita praefinitione Dei, libere mouebitur libertate contradictionis, & contrarietatis.

Neque vero satis est, si omnem contingentiam, & libertatem nostrarum operationum in Dei libertatem, qui ab initio libere definiuit, quod futurum est, referamus. Id enim haereticis non inficiabuntur (excipio Ioannem Wicleph, qui Deo libertatem contradictionis, & contrarietatis negauit, vt retulimus disp. 68. c. 1.) cum hoc enim asserere possunt nullam nobis manere libertatem in operando, quod est absurdum.

Atque multo magis difficultas initio proposita crescit iuxta recentiorum opinionem, qui doctrinam S. Thomae, & antiquorum Theologorum sic putant intelligendam, vt Deus ab aeterno praefinierit singulas nostras operationes; eiusque praefinitio fuerit prior ordine causae nostra determinatione, & cooperatione: quia nulla habita ratione illius, ex se Deus singula opera nostra decreuerit. Id quod non solum in operibus gratiae censent esse verum, sed in aliis operibus, etiam peccati, si sermo sit non de malitia, sed de substantia actus. Hic igitur crescit difficultas: ex hac enim opinione hoc modo intellecta sequitur in nostris operibus necessitas ex suppositione, quae libertati nostrae omnino aduersatur: tamen si non sequatur necessitas absoluta, & ex natura rei: necessitatem vero, quae laedit libertatem, non esse concedendam, iam supra notauimus. Neque enim solum de fide est, liberum arbitrium ex se, & natura sua liberum esse, verum etiam ita semper liberum manere, vt à nulla extrinseca causa laedatur. Quare cum aliquam in eius operatione necessitatem concedimus, talis esse debet, quae eius libertatem illaam omnino seruet.

Ex praedicta vero sententia sequi nostrae libertatis impedimentum, quod ipsam omnino tollat, non difficius probabitur. Retinenda tamen est in memoriam doctrina illa Anselmi opus. de concordia liberi arbitrij, & praedestinationis cap. 1. quam adduximus disputatione 68. cap. 4. & sepius à nobis inculcata est, nempe vno ex duobus modis aliquem effectum necessario esse futurum. Aut necessitate praecedenti, aut necessitate sequenti. Praecedens necessitas est, quae provenit ex causa, aut ex aliquo, quod antecedit effectum, quo posito non potest effectus non sequi. Sequens vero necessitas est, quae sequitur effectum ipsum. Hoc modo effectum iam posito enunciamus, ipsum necessario esse, quando est: aut fore, quatenus futurus est. De priori autem necessitate plane docet Anselmus talis esse naturae, vt laedit arbitrij libertatem: quia cum ea libertas constare non potest, id quod hac etiam ratione probatum est: disput.

disputatione 89. cap. 10. Nam si aliquid præcedit consensum nostrum, ex quo necessario sequitur nos consensuros, eoque antecedenti posito non potest villo modo nostra voluntas oppositum velle, & illud quod præcedit, non fuit villo modo in nostra potestate: fit vt nihil libertatis, nihil indifferentiæ in nobis manere possit, vt ibidem latius demonstrauimus. Posterior vero necessitas non tollit libertatem: quia id, ex quo necessitas sequitur, ex nostra libertate supponitur: & ita cum necessitas posterior sit, eam cadere non potest: qui autem concedunt Dei decretum ita præcedere, vt nulla habita ratione consensus, & determinationis nostre voluntatis, opera nostra figillatim præstent, concedere coguntur, opera nostra necessitate euenire: quia posito decreto, quod ordine causa præcedit, non potest voluntas nostra contrarium velle: ergo nulla prorsus in ea manet libertas.

Confirmatur
ex Tho.
Walden.

Hac quidem ratione Thomas Wald, tom. 1. lib. 1. cap. 25. contra plures graues Theologos sui temporis, qui plane concedebant, opera nostra præcedente necessitate fieri, dicit hæc verba: *Necessitas ergo præcedens non compatitur arbitrij libertatem, & ideo ipsa non conuenit humanis affectibus. Periculose ergo (vt mihi videtur) quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus (etiam & quod suat voluntate Dei, maxime cum antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possunt, cum conantur, & illud, quod adducunt, Cor regis in manu Domini, & quocunque vuleris inclinat illud, ipse textus exponit se, intelligi de necessitate tractionis, vel inclinationis: non autem de necessitate illa, quæ præcedit secundum Anselmum). Porro autem illa præcedente suppositione facta, cum necessitate illius non manere libertatem, late probauimus supra disputatione 89. c. 10. ea enim facta suppositione, non manet indifferens & libera voluntas, vt velle possit vnum, aut alterum, sed vni patri alligata, siquidem decreto Dei nullo modo resistere valet.*

Prima ad-
uersariorum
Responsio.

Ceterum huic argumento multi varie conantur respondere: quia tamen eorum solutiones in eo cap. ex professo impugnauimus, hic solum pertransennam eas attingemus. Primo respondent, adhuc posito decreto Dei nostram voluntatem liberam manere. Et cum vrgemus eos hoc modo: Si voluntas nostra posset in oppositum, iam resisteret voluntati Dei, quod est absurdum possibile autem posito in esse, non sequitur aliquid impossibile, ex Arist. 1. Priorum cap. 12. dicunt, tunc sane, si voluntas faceret oppositum ei, quod Deus decreuit, fore, vt tolleretur suppositio decreti Dei: veluti si nos faceremus aliud, quam Deus cognoscit, fore, tolleretur suppositio scientiæ Dei.

Aristot.

12

Refutatur.

Verum hanc solutionem infirmam esse, ibi ostendimus: quia suppositio decreti Dei prior est nostra libertate secundum eorum sententiam; & ideo si ea perseverante, vt supponitur, non potest voluntas velle oppositum, sequitur non manere liberam: si autem potest, & facit, non debet tolli suppositio illa, quæ nullo modo ex arbitrio pendebat, sed prior erat omni libertate: at suppositio scientiæ Dei tollitur, si opponamus suppositum euenire, quia illa erat posterior libertate, & supponebat rem eo modo euenturam: quare si suppositio rei euenturæ tollitur, non mirum, si etiam scientia tollatur. Hinc colligitur, aliam necessita-

tem sequi in nostra voluntate ex suppositione decreti Dei, si decretum prius est nostro consensu, quam ex suppositione scientiæ. Hæc enim est sequens, quæ non tollit libertatem: illa vero præcedens, quæ libertatem omnino impedit, vt probatum est. Tum etiam necessitas illa, quæ res quando est, dicitur necessario esse, est sequens, & nullo modo libertatem lædit.

Secundo respondet, suppositione facta decreti non manere voluntatem liberam, ex se tamen liberam esse. Verum hoc modo incidere videremur in errorem Melancthonis & aliorum, qui quantumvis non concedant necessitatem absolutam in nostris operibus, vt docebat Wiclefius; affirmant tamen extrinseco Dei decreto, aut præscientia libertatem nostram lædi, & impediri, vt disput. illa 68. cap. 1. retulimus. Quod si aliquis concedat, suppositione facta decreti Dei manere rationem spontaneæ, sed absque libertate contradictionis, nihil omnino refert, nam cum spontaneum in brutis etiam reperiatur, non satis est in operationibus humanis illud concedere: sed necessarium est, libertatem contradictionis, & contrarietatis voluntati tribuere. Nam spontaneum sine libertate hæretico quoque nostri temporis concedunt cum Caluino lib. 2. Instit. cap. 5. §. 14. & 15.

Tertio alij respondent, ex decreto Dei non imponi voluntati nostre necessitatem antecedentem, sed sequentem, qualis provenit ex scientia; ac proinde decreto Dei nostram voluntatem non impediri. Probant vero assumptum: quia decretum Dei præcedit sententia conditionalis, qua Deus sub conditione optime nouit, quid vnuiusque, si tali præueniretur vocatione faceret; quod ergo, hoc ita præcognito, decernat Deus illud fieri, & ad illud tali vocatione voluntatem excitare, non imponit necessitatem antecedentem: quia id, quod sub conditione nouit, absolute decernit.

Hanc solutionem in ea disput. 89. cap. 10. ex professo impugnauimus, cum de decreto dandi gloriam ante præuisa merita gratiæ ageretur, & nunc eodem modo refelli potest: primum, quia ex eo, quod Deus nouerit sub conditione, me libere consensurum tali vocationi, non sequitur in mea fuisse libertate decretum ipsius absolutum, quo præscripuit, me tale opus facturum: si ergo antea quam absolute decerneret me vocare, & antequam præuideret determinationem meam ex tali vocatione absolute futuram, ipse ex se decreuit, me tale opus absolute facturum; consequitur, definitionem illius absolutam priorem omnino fuisse mea libertate, & determinatione absoluta: ac proinde necessitas antecedens voluntati meæ imponeretur.

Deinde hi doctores non seruant eundem ordinem sub conditione, & absolute; vt autem eadem esset vtroque ratio, eadem series esset colluctanda. Dicunt enim, Deum ita præuidisse, si ego Petrum tali vocatione pegero, libere consentire, sed non addunt præfinitionem sub conditione, nempe quid si ego præfinirem eius opus ante vocationem, & determinationem præuisam: Si enim hæc poneretur, sicut in ordine absoluto, eadem esset vtroque difficultas. Quare nihil hanc sententiam sub conditione hoc modo prodelle ad conciliandum decretum Dei cum nostra libertate existimo, sicut ibi etiam notatum est.

Postremo, si decretum Dei, quo præfinitur peccatum

catum secundum substantiam actus, præcedit nostram cooperationem, nec ex illa pendet villo modo; eo Petro Apostolo, non posset conari ad oppositum, ne Dei decretum irritare contenderent. Quare aut negando non peccaret, ne faceret irritum decretum Dei, quod bene nobis, imo beneficeret negando, ne licet contra definitionem Dei, aut perplexus esset. Cum vero modo relinquat in nostra potestate decretum suum quia illam comitatur, & non præcedit, recte conari potest, imò debet ad oppositum; quia adhuc incumbit illi præceptum Dei, de quo 1. 2. quæst. 19. art. 10.

Quarto denique alij respondent, per decretum Dei circa singula opera, etiam si præcedat, secundum rationem, præscientiam nostræ cooperationis, non tolli libertatem nostram, quamvis imponatur ei necessitas: quia decretum non mutat modum operandi intrinsecum, nec physice (vt aiunt) prædeterminat voluntatem; sed decretum omnino extrinsecum est. Horum tamen solutionem satis impugnauimus disp. 89. cap. 10. Vbi ostendimus, extrinsecum impedimento eodem omnino modo tolli nostram libertatem, sicut intrinsecum, & physice influente, quando ex suppositione sequitur necessitas antecedens.

Hæc sunt, quæ sequi videntur contra prædictam opinionem, prout à recentioribus Theologis intelligitur, qui plane concedunt decretum antecedens nostrum consensus, ex quo necessitatem antecedentem in nostris operibus fateri coguntur. Nam de Theologis antiquioribus in hoc cap. commemoratis, affirmare non possumus, tale decretum præcedens, nec antecedentem necessitatem in nostris operibus concessisse. Et quidem necessitatem nunquam docuisse. Namque eo tempore, sicut etiam nunc, non deerant Theologi, qui Doctorem sanctum in illum sensum, interpretarentur, à qua opinione tanquam à minus probabili interpretatione Waldensis ipsum viuificare conatur. Solum contra prædictos Scholasticos supra notauimus, eorum doctrinam minus sufficientem esse ad præsentis difficultatis dissolutionem, tamen vera sit: ideo aliam esse querendam, quæ omnino satisfaciatur.

CAPVT III.

Quinta & sexta opinio recentiorum.

Alij Theologi nostri tempotis, vt seueritatem huius sententiae temperent, docent cum Greg. Arimin. in 2. d. 28. qu. 1. art. 1. ad 8. & 12. argum. modum Dei ordine causæ priorem esse cooperationem, & determinationem nostram in operibus bonis: at in operibus peccati etiam secundum substantiam, & seclusa malitia, priorem esse nostram determinationem: & eodem ordine hæc in se comparari in æternitate. Putant enim cum eodem Greg. Deum in tempore ex seipso prius applicare voluntatem nostram, & eam impellere ad operandum, quam ipsa cooperetur in bonis operibus: at in malis è contrario, prius voluntatem ex se determinari, quam Deus cum illa cooperetur. Ex quo inferunt, Deum præfinitisse opera bona ante determinationem nostram villo modo præuisam, sed mala secundum substantiam nequaquam, nisi præcognita determinatione nostræ voluntatis. De bonis operibus id probant, quia in illis priores Deo tribuere necesse est: ergo & decretum, &

Vázquez, in 1. pars Tom. 1.

præfinitio Dei prior esse debet: de malis vero id confirmant multis Patrum testimoniis, qui negant peccatum à Deo præfinitum. Si dicitur in Concilio Valentino sub Lothario imperatore capit. 2. Consentiant Aug. ad artic. sibi falso impositos artic. 1. & 13. seu potius Prosper ad obiectiones Vincent. qui creditur auctor illius libri responsione 11. & 13. Beda tom. 8. in lib. quæst. 9. 12. & Fulgentius lib. 1. ad Monimum ad 13. per multa cap. Tum etiam quia Deus videretur auctor peccati, & ipsi potius, quam peccatori illud imputaretur: nam si ipse ex se ipso præfinit in præsentia opus peccati non attendens ad determinationem nostram, & in tempore nos mouet, & applicat priusquam determinemur à nobis, potius ei, quam nobis tribueretur peccatum siquidem nos ad illam actum impellit, quem necessario consequitur malitia.

Alij denique eodem fere modo philosophantur, nisi quod inter opera bona adhuc distinguunt. Putant enim, quædam esse opera gratiæ, quædam autem opera naturæ. De operibus naturæ dicunt, eodem modo, quo doctores præcedentes de operibus malis docuerunt, nimirum in eis priorem esse determinationem creaturæ motione Dei, idemque de ordine præscientiæ, & æternæ præfinitionis affirmant, nempe ante nostram determinationem ullo modo præuiam, Deum præfinitisse opera bona, quæ sunt gratiæ, alia vero post præuium nostrum consensus. Distinguunt autem hoc modo, vt in operibus saltem gratiæ Deo priores partes tribuamus, siquidem ipse dicitur omnia in nobis operari, & facere, vt nos ea faciamus. Cumque Gregor. existimaret, omnia opera moralia bona esse ex gratia Dei, in omnibus bonis concessit prius nos à Deo moueri, & applicari ad ea operandum, quam nos operemur, vt disput. 88. cap. 1. notauimus.

Verum frustra hæc adhibentur distinctiones, cum potius de omnibus eodem modo sentiendum sit. Atque in primis, si Doctores huius sententiæ consent, etiam supposita præfinitione Dei, & applicatione illa ad operandum in bonis operibus, nihilominus voluntatem nostram liberè ad illa opera determinari, idem in malis operibus dicere debent. Nam quæ maior ratio esse potest, ob quam ex præfinitione, & applicatione illa præcedente ad operandum tollatur libertas in malis & non in bonis? Quod si supposita præfinitione, & applicatione adhuc voluntas libera manet ad peccandum, non est, cur Deo imputetur, aut tribuatur malitia, cum ipse sua præfinitione voluntatem nostram relinquat in manu consilij sui, & solum decernat actum peccati secundum substantiam, sicut etiam in tempore facit, & producit. Quod enim aliquo modo definiat vel ante consensus, vel simul cum illo, vel post illud, nemo dubitare potest, siquidem ea, quæ in tempore producit, voluntate sua producit: voluntas autem eius æterna est. Ex eo vero quod Deus concurrat nobiscum ad actum peccati, prout facultas liberi arbitrij postulat; siue prius, siue posterius, siue simul, non sequitur malitiam Deo esse tribuendam; cum illa solum ex modo operandi create causæ sequatur: vt 1. 2. quæst. 79. art. 1. dicemus.

Patres vero commemorati vel solum continent, peccatum sub ratione peccati, & malitiæ non fuisse à Deo præfinitum, id est, ab æterno destinatum, & determinatum fieri. Particula autem præ-

K k k

non

Posterior
probat.

Concil. Valentinum,
August.
Prosper.
Beda.
Fulgent.

Alij addunt
opera bona
moralia
præfinita à
Deo post
consensum
præuium.

17.

18.

Damasc.

August.
Hieronym.

Magist.

19.

Anisiod.

Magist.

Anselm.
Augustin.

20.

Nostra vo-
luntas non
applicatur à
Deo ad actū
peccati, ante
ipsius deter-
minationem.
Primum in
continuum

non denotat antecessorem causā respectu deter-
minationis nostræ, sed prioritatem temporis. So-
lus enim Damascen. ut infra notabimus, videtur
particulū *præ* in ea significatione usurpassē, ut
antecessorem causā significet. Vel certe, si lo-
quuntur. Patres de actu ipso peccati secundum
substantiam, non solum negant, Deum præfuisse
illum ante præuisam determinationem nostram,
verum etiam illo modo determinasse. Ut enim di-
cemus 1. 2. q. 79. art. 1. Augustin. in lib. 2. de lib. arbit. cap. 20.
imò & Hieronym. in 2. dialo. in contra Pelagianos, non
obscure docere videntur, actum ipsum, & opera-
tionem peccati non esse à Deo. Quare cum ceteri
Patres allegati, fuerint doctrinæ Augustini sum-
mopere additi, mirandum non est, si in eo quo-
que sensu negauerint, peccata à Deo fuisse præ-
destinata. Refert etiam Magister in 3. d. 37. quosdam
suo tempore eam sententiam militiam etiam peccati
reicerent, si ipse esset auctor actus peccati secun-
dum substantiam. In qua opinione fuit Anisiodo-
ren. lib. 1. summa tract. 26. cap. 3. quamvis oppositam
existimet probabilem: Magister tamen nihil audeat
definire.

Ex Patribus vero solum legi Anselm. opus. de con-
cordia lib. arbit. & prædest. c. 2. qui dicat, actum peccati
secundum substantiam esse à Deo. Quod autem
August. lib. de Morib. Manicheorum cap. 2. dicit, Deum esse
causam omnium naturarum, & substantiarum; ex
quo videtur concedere, Deum esse auctorem actus
peccati secundum substantiam, quia natura quæ-
dam est: non probat, in ea fuisse sententia, ut con-
cederet, actum peccati secundum suam entitatem
esse à Deo: per naturam enim ipse intelligit sub-
stantiam, non operationem. Quare contra Mani-
cheos ibi contendit, nullam substantiam esse ma-
lam, quam nomine naturæ significat. Sic intelligit
ipse eodem lib. cap. 2. & 8. & lib. 1. Hypognos. in vlti-
mis fere verbis, lib. 4. in princ. & 2. de lib. arbit. cap. illa
20. Eodem modo loquitur etiam Ioann. Maxentius
in confessione sue fidei in fine, quæ habetur 5. tom. Bi-
blioth. Sacra, & Damascen. cap. 19. historia. Nihil igitur
curauerunt Patres, an præinitio actus peccati fuerit
à Deo, ante præuisam determinationem nostræ
voluntatis.

Quod si Deus præfinit in eternitate sua
actum peccati secundum substantiam, non præui-
sa determinatione nostrā, voluntati nostræ impo-
neret necessitatem, quæ libertatem illius impedi-
ret: efficeretur, non solum in Deum reiciendum
esse peccatum, si aliquid esset, sed etiam ad illud
faciendum nos cogeret: sed etiam nullum pecca-
tum humano arbitrio imputari posse. Porro si talis
necessitas in malis operibus ex illa præfinitione
nasceretur, idem profecto esset de bonis: ac pro-
inde nullum meritū nobis posset imputari: quod
etiam absurdum: æqua igitur ratio esse debet.
Atque eodem modo de præfinitione censendum
est tam in bonis, quam in malis operibus secun-
dum substantiam.

Quocirca eorum sententia mihi non probatur,
qui docent nostram voluntatem post vocationem
non solum prius applicari à Deo applicatione illa,
de qua sæpe loquuti sumus, ad consensum in opus
bonum; sed etiam ad consensum in opus peccati
secundum substantiam. Ex eorum enim sententia
multa videntur sequi, quæ nulla ratione concedi
possunt. Primo nos à Deo moueri, adigi, impelli,

imò & cogi ad opera peccati; tamen si Deus non sit
auctor malitiæ peccati; Nam si Deus applicat nos-
tram voluntatem præuente cogitatione, & tem-
tatione, ut eliciat opus consensius, ergo ad tale
opus impellit, & adigit; cumque tali posita appli-
catione non possit arbitrium non operari, & ra-
non pendeat ex ipso illo modo, sed eius libera-
tem antecedit; sequitur etiam ab ea non solum
impelli, sed etiam cogi: quia necessitas antecedit,
ut sæpius dictum est; libertati nostræ adueratur.
Hoc autem modo loquitur Beza in responsione ad
Sebastianum Castellionem in refutatione secundæ calu-
niæ explicans sententiam Caluini in aphorismo 21.
ubi ait, non tantum à Deo nisi liberum arbitrium
opere peccati; sed etiam ad illud impelli, excitari,
moueri, & regi. Neque vero dicit, Deum esse au-
ctorem peccati, quatenus malam, & deformem esse;
namque hac ratione in voluntatem solum crea-
tam peccatum refert: in aphorismo 31. sed dicit ad
opus ipsum peccati voluntatem nostram à Deo
impelli, excitari, moueri, & regi.

Secundo sequi videtur ex hac sententia, Deum
voluntate antecedere, & ex se ipso voluisse, & de-
creuisse opera peccati: quæ adeo primaria sunt in-
tentione quosdam ad huiusmodi opera destituisse.
Nam iuxta Damasc. 2. de fide cap. 29. primaria vo-
luntas in Deo ex ipso solum ortum habet, nullam
ex nobis occasione capiens: arque hac ratio-
ne dicitur antecedere respectu nostri; secundaria
autem voluntas, quæ dicitur consequens, ex no-
bis ortum habet, qualis est voluntas pontificis.
Dicere autem Deum voluntate sua primaria opera
peccati secundum substantiam præfuisse, non li-
cet: siquidem hac primaria voluntate teste Da-
masc. vult Deus omnes homines saluos fieri, tan-
quam vitam agere, nihil, quod sit futurum con-
tra rationem, operari: hoc enim bonum est, & ac-
ceptum coram Domino, qui vult omnes homines
saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut
scribit Apostolus 1. ad Timoth. 2. impossibile autem
est, Deum ex se ipso primaria, seu anteceden-
te voluntate hoc velle, & simul eadem primaria
voluntate opus peccati secundum substantiam
eius deformitas coniuncta est, præfuisse.

Tertio sequi videtur, hac eadem primaria in-
tentione ut operibus peccati homines consen-
sum præbeant, non solum Deum immittere cogi-
tationes, ex quibus futurum esse peccatum cogno-
uit; sed etiam ex eadem voluntate ad consensum
in tales cogitationes impelli, quod dici non potest.
Nam tamen si Deus auctor sit cogitationis, & occa-
sionis, ex qua nouit futurum esse opus peccati, qui-
tam ex se velle illud non committi, nulla ratio-
ne dici potest, ea intentione, ut homines consen-
tiant in opus peccati, Deum immittere cogitatio-
nes; aut occasiones offerre: alioquin & Deus re-
tor diceretur, contra sententiam Iacobi Apol-
cap. 1. nam & homines, qui alios alliciunt ad pec-
candum, non ideo tentare eos dicuntur, quia in-
tentione peccati, ut peccatum est, occasiones of-
ferant, sed quia intentione primaria, & ex se con-
sensum in tale opus aliis desiderant, & suis suad-
ibus extorquent.

Quarto ex eadem sententia colligi videtur, im-
plicitè dicendum esse, quosdam homines desti-
natos esse ex ipso solo Deo ad opus peccati, sicut
alios etiam ad opus virtutis. Nam si Deus non præ-
uisa hominis determinatione ex se ipso decreuit

hunc hominem committere opus furti, illum autem opus adulterij, & ut illud in tempore committeret, dicimus fuisse à Dei applicatum, & motum; simpliciter dicendum est, ad hæc opera peccati quosdam homines fuisse sola Dei voluntate destinatos: quod est contra doctrinam Conc. Valentiniani sub Lothario Imper. cap. 3. & Aug. ad articulos fidei falsos impositos articulo. 11. seu Prosperi ad obiectio- nes Vincentia. responsione 11. & 13. qui creditur anthor illius lib. Fulgentij lib. 1. ad Monimum cap. 13. per multa capita & Bedæ tom. 8. in libr. qu. 13. qui negant, peccatum à Deo præfiniri, & homines à Deo destinatos fuisse ad peccandum, neque solum negant malitiam à Deo fuisse præfinitam, sed etiam ne- minem à Deo ad hoc fuisse creatum, & prædesti- natum, ut Deus ad opus peccati ipsum impelle- ret. Hanc vero illationem falsam esse ex eo con- stat, quod Deus ex seipso primaria sua voluntate, vult opus peccati, etiam secundum substantiam non fieri, qui iuxta Damasc. 2. ill. de fide cap. 29. Deus ex seipso vult omnium salutem, & ut omnia opera secundum rationem fiant, cum qua voluntate constare non potest voluntas alia, qua velit fieri opus peccati secundum substantiam, nisi aliqua occasione accepta determinationis & coopera- tionis nostræ.

Quinto inferri videtur ex hac motione, & ap- plicatione voluntatis nostræ ad opus peccati, tolli libertatem illius, ut sæpius dictum est, ac proinde nullum esse peccatum: quia omne peccatum libe- rum, & voluntarium debet esse: aut certe, si adhuc peccatum moris manet dicendum esse, Deum esse autorem illius.

Offi vero oppositam sequuntur sententiam, respondent Deum quidem autorem esse operis peccati secundum substantiam; malitiam tamen & deformitatem moralem in liberum arbitrium creatum solum referri: ut ita opus illud, quatenus sit à Deo, non sit peccatum; sed quatenus est à li- bero arbitrio creato: Ceterum observandum est, non omnes hereticos nostri temporis docuisse, Deum esse autorem peccati, ut peccatum est. Sunt enim, qui planè dicant, peccatum ut pecca- tum non esse in Deum ut in causam referendū, sed tantum Deū esse causam operis peccati eo modo, quo supra explicuimus ex mente ipsorum docet Beza Aphorismo illo 31. Calvinus lib. 3. Inst. cap. 13 § 9. Zainglius in serm. de providentia cap. 6. quamvis autem hoc solutio aduersatiori locum habeat in eorum sententia, qui dicunt opus peccati secundum sub- stantiam fieri à Dei cooperante nobiscum, habita- ratione determinationis nostræ: iis tamen, qui asserunt, non solum Deum decreuisse cooperari nobiscum, & in tempore concurrere: sed etiam nulla habita ratione determinationis nostræ ad opus peccati nos applicare, excitare, regere, & impellere; prædicta distinctio; & solutio nihil fauere potest. Sic enim ut supra dicebamus, aut nullum omnino peccatum est, aut potius illius est, qui ex seipso curauit, & statuit, ut tale opus fieret.

Sunt tamen alij Theologi, qui expressè non dicunt: voluntatem nostram ad actum peccati prius applicari quam ipsa consentiat; tamen si ex eorum principiis id planè sequatur cum asse- rant, prius matuta applicari omnem causam secundam ad suam operationem à causa prima, quam ipsa secunda causa operetur. Expresse tamen docent prædicti doctores, si volūtas humana non

applicetur ad bonū infallibiliter peccaturā. Quo- rum sentent. reiicienda videtur, sicut prior, si illud infallibiliter. sumat pro necessario necessitate præ- cedente, & ex parte causæ, ut ipsi videntur signifi- care: nam si referatur ad scientiam, & intellectum Dei: infallibiliter Deus scit, hominem peccaturū, non quidem si non applicetur ad bonum applica- tionē illa, quam supra impugnauimus; sed nisi congrua, & peculiari vocatione secundum propo- situm Dei præueniatur, ut manifeste constat.

Sed dicunt aliqui, in operibus saltem gratiæ necessarium esse concedere præfinitionem ante determinationem nostræ voluntatis: eo quod in tempore etiam quædam applicatio præcedit no- stram determinationem præter vocationem, & primum motum voluntatis, ut ita modo loquendi Augustin. & aliorum Patrum satisfaciant. Verum illa applicatio, & præfinitio eo modo intellecta non solum non est secundum mentem August. & Patrum, nec vilo modo possibilis, sed etiam ex illa aliquid sequi videtur contra nostram libertatem. Eam vero non esse secundum mentem Augustini, & aliorum Patrum; neque possibilem, disputat. 88. cap. 5. satis probatum est. Ea autem nostram liber- tatem impediri, ex dictis in cap. præcedent. patet. Nam tali posita præfinitione non potest voluntas esse libera in vtramque partem: præfinitio verò supponitur sine nostro consensu, & prior est illo: ex ea igitur nascitur necessitas præcedens, quæ li- bertatem impedit, ut supra probauimus: idem de applicatione illa in tempore dicendum est. Ea enim talis est naturæ, sicut aduersarij fateantur, ut semel posita non possit non sequi operatio & consensus voluntatis. Recte igitur docuit Ruar. Ruar. Tap. artic. 7. §. Decima propositio, eodem mo- do sentiendum esse de operibus gratiæ, & na- turæ in vniuersum, ut non alio modo præfi- niantur operationes, nec alio modo applicen- tur causæ ad operandum, quod attinet ad priori- tatem, vel posterioritatem, aut comitantiam, ut infra capit. 7. fulius dicitur. Idem omnino sentit, Scotus in 4. d. 49. qu. 6. §. Dico ergo, versi ad propositum: cum asserit nostram voluntatem non prius appli- cari à Deo ad operandum, quam ipsa se determi- net, quia alio quin tolleretur eius libertas, quæ sa- ne ratio tam probat de operibus peccati, & natu- ræ, quam de operibus gratiæ.

Demum recentiores alij alio modo philoso- phantur. Dicunt enim, Deum ab æternò non præ- uisā vilo modo nostri arbitrij determinatione et- iam sub conditione, præfuisse opera nostra sigil- latim; sed in tempore voluntatem nostram ita à Deo moueri, ut in eodem instanti temporis, & na- turæ (ut ipsi loquuntur) actio nostri arbitrij, à Deo, & nobis procedat: nihilominus Deus prius prior- itate, quam ipsi vocant, à quo, non prioritate in quo, præueniat nostram cooperationem; & hinc tantum sequi necessitatem, qua dicere solemus, Omne quod est, quando est, necesse est esse. Addunt præterea, nostram voluntatem non semper hoc modo à Deo moueri, sed quandoque hoc modo, quandoque etiam sine hac prioritate ex parte Dei.

Hæc tamen opinio non minus facile, quam alię impugnari potest. Primum quidem, quod spectat ad præfinitionem Dei non præuisa determinatio- ne nostra etiam sub eonditione, iam satis explosa est: ex ea enim sequi videtur necessitas non tan-

Appl'atio
nostra volun-
tatis ad con-
sensum in bo-
num ante ip-
sus determi-
nationem le-
deret eius li-
bertatem.

24.

Scotus.

25.

tam sequens, aut comitans, sed præcedens: quæ quidem nostram libertatem omnino lædi, satis superque ostensum est. Deinde, quod attinet ad applicationem, & motionem, quæ Deus nos mouet, hæc sententia verbis solum ludere videtur, & primum quidem, si in eodem instanti temporis & naturæ simul Deus, & nostrum arbitrium operantur, quomodo prius prioritate a quo Deus Arbitrium mouet, sic enim necesse est, assignare instanti aliquod naturæ, prius ipsi Deo mouenti, quod nostro arbitrio non conveniat: & ita vtriusque concursus non erit simul tempore, & natura.

Deinde hi Theologi abutuntur vocabulis artis. Nam Aristot. in prædicamentis cap. de modis prioris, in modis prioris assignat quandam, quem possemus vocare prius a quo, sed tale genus prioris præfenti instituto feruire non potest: hoc enim modo dicitur prius id, a quo non valet subsistendi consequentia: quale est prædicatum commune respectu particularis, ut animal respectu hominis: quod sane nihil ad præfentem controuersiam attinet.

Postremo, quod asserunt, interdum Deum operari in nobis eo genere prioris, interdum vero non, abque fundamento dicitur. Vt enim Deo assignemus diuersum modum operandi, necesse est in ipso effectu aliquid diuersum assignari: in nostris actionibus non possumus ullam diuersitatem assignare, ut constat: ergo non possumus assignare Deo diuersum modum operandi. Adde, quod nullius vilitatis est hæc prioritas, quam prædicta opinio tribuit Deo: siquidem affirmat, aliquando sine illa Deum nobiscum operari: & nihilominus nihil derogari diuinæ gratiæ, cui primas partes tribuere debemus, nec certitudini prouidentia: si quidem hæc semper certa est, & aliquando ab his doctoribus conceditur sine hoc genere prioritatis. Atque ut disputatio 88. capit. 7. ostendimus, qui sunt hæc prioritate diuinæ operationis concedunt prouidentiam, nihil certitudini illius derogant. Ceterum prædicti doctores hoc genus prioritatis, quam ipsi vocant a quo, sic explicant: non quia Deus in aliquo signo priori producat in nobis aliquid sine nobis, sed quia ipse operatur, ut prima causa, a qua penderet secunda: cum tamen ipse a secunda non pendeat. Verum hæc ratione explicata sententia multo melius impugnari potest, primum, quia ad producendum actiones voluntatis & intellectus Deus saltem indiget in aliquo genere, ut causa cooperante, nostro arbitrio, siquidem sine illo non posset tales effectus in nobis facere, saltem liberos. Deinde hæc prioritas, si aliqua est solum est prioritas perfectionis, quatenus iuxta Aristot. in prædicamentis cap. de modis prioris id, quod nobilius est dicitur prius: hoc autem modo non quandoque, sed semper Dei efficacitas prior est, non solum in operibus gratiæ, sed etiam in omnibus aliis operibus adhuc naturalibus, & in ipsa substantia actus peccati: hoc autem nihil refert, ut defendant Deum præfiniri opera nostra libera & prædeterminare arbitrium (ut ipsi loquuntur) non habita ratione concursus nostri, & multo minus, ut priores partes, & potissimas tribuant gratiæ Dei sicut patet ex superioribus. Nam gratiæ Dei alio modo tribuendas esse priores & potiores partes iuxta mentem Augustini, & Patrum, patet ex disputatione 88. Et hæc tenet contra quintam opinionem varie expli-

catam pugnatum est: iam vero ad sextam gradum faciamus.

CAPVT V.

De aliis Theologorum opinionibus.

Nonnulli Theologi & contrario dixerunt, primum quidam, Deum non præfinisse actus nostros, siue bonos, siue malos secundum substantiam ipsorum, aut præuiam determinationem arbitrii nostri: deinde determinationem ad unam partem potius, quam ad aliam siue in bonis, siue in malis actibus quoad substantiam ipsorum, esse quidem a nobis, & a Deo, sed primam radicem, & causam illius esse liberum arbitrium. Ex quo inferunt, prius intelligi determinationem nostram, quam Dei prædestinationem, & præuisionem, nam eodem modo res inter se in æternitate, sicut in tempore comparantur. Eundem etiam ordinem assignant in operibus gratiæ, quod attinet ad consensum, & cooperationem: concedunt tamen a te nostram, & Dei cooperationem præcedere gratiam operantem & excitantem, nempe vocationem. Hanc sententiam tradiderunt Catholici in opusculo de præficientia, & prouidentia Dei cap. vii. Antonius de Corduba lib. 1. qu. 5. d. 10. Iulius Sirenum lib. 3. de deo to a cap. 11. vsque ad 14. Oporus lib. 9. de infinita: eundem etiam ordinem in malis operibus posuit Marfil in 1. qu. 45. art. 2. in quodam dubio post 4. conclusionem. De bonis autem, tamen si non aperte loquatur contrariam tamen sententiam in tacite videtur. Ex hac doctrina Antonius de Corduba colligit discrimen inter causas secundas naturales, & liberas. Nam licet vtræque modificentur, & determinant diuinum concursum, non tamen eodem modo, naturales enim causæ solum determinant Deum ad modum operandi naturaliter, non ad hoc, vel illud producendum in specie, aut individuo: quia ex se Deus determinatur ad hoc potius quam illud efficiendum, licet causæ naturales, & particularis modificetur vniuersalem causam, creatam, nempe cælum, ut hoc potius quam illud producat, non solum in specie, sed etiam in individuo. Libera autem agentia determinant Deum ad modum operandi libere, verum etiam ad hoc potius, quam illud in individuo producendum: ita ut ex se Deus indifferens sit, ut voluntate sua cooperetur cum nostra in eam partem, in quam viderit ipsam se determinare. Concedunt igitur prædicti doctores tria instantia: primum in quo voluntas nostra gratiæ præuenitur; secundum, in quo ipsa se determinet ad consentiendum, vel repugnandum vocationi; tertium in quo Deus cum illa concurrat: atque eundem ordinem in æterna præficientia, servata proportione, constituunt. Quinimo ex recentioribus, qui hæc amplectuntur sententiam, nonnulli affirmant ita loquendum esse: non quia Deus voluit me loqui, ego loquor; sed quia ego loquor. Deus voluit me loqui.

Fauet his omnibus Ruardus Tap. artic. 7. §. Deum propositio. Qui liberum esse censet asserere, priorem esse determinationem voluntatis nostræ, vel diuinæ in consensu, & operatione libera, tam in operibus gratiæ, quam naturæ: quamuis in sententiam, quam hæc tenet reuoluitur, magis inuoluntariam, quam hæc tenet reuoluitur, ita philosophantur, ut hoc pacto explicent, & defendunt concordiam nostræ libertatis cum præficientia diuina. Nam cum videatur necessarium, ordinem aliquem

aliquem assignare inter determinationem voluntatis nostrae, & diuinæ, si aliqua ratione. Dei præfinitio esset prior, nulla videtur superesse in nobis libertas, vt hæcenus probatum est: oportet ergo decretum Dei posterius esse nostræ libertati, & determinatione, sicut etiam est diuina præscientia, vt ex illa nulla in nostris actionibus oriatur necessitas præcedens, sed solum sequens, quæ non tollit, sed integram supponit nostram libertatem. Tam etiam, quia si voluntas nostra non ex se determinatur, sed ab alio: potius videretur agi, quam agere, & se ipsam mouere: quod libertati maxime repugnat.

Hanc sententiam nonnulli Theologi nostri temporis seuerius notant, quam par erat. Videntur enim illis Pelagiana, quod dicat determinationem nostram prius natura esse, quam gratiæ cooperationem, & ita Pelagianis consentiri, qui bonorum operum initium ex nobis esse dicebant. Ceterum licet opinio mihi nullo modo probetur, ea tamen nota digna non est, nam longe abest ab errore Semipelagianorum, cuius insinulator. Illi enim, vt vidimus disput. 89. cap. 4. ita ex nobis initium bonorum operum, & iustificationis concedebant, vt præcederent ex solo arbitrio abique vlla præuenienti gratia opera quædam bona, non natura, sed tempore, quorum intuitu Deus gratiam præuenientem, & operantem largiretur: id quod prædicti Doctores in memorata opinione nequaquam concedunt: quia solum docent, liberum arbitrium gratiæ excitante, & operante præuenientem ex se prius natura determinari ad consensum, quam gratiæ & voluntas Dei cum eo cooperetur. Asserunt vero eandem consensum simul tempore procedere à nostro libero arbitrio, & à gratiæ, & voluntate Dei cooperante. Nihil igitur contra hos docuit Consiliū Arausicum secundum, neque etiam Aug. dum aduersus Semipelagianos disputat, & probat Deum facere in nobis, vt consentiamus: id enim non putant fieri per aliquam applicationem nostræ voluntatis, quæ esset à solo Deo, antequam ipsa se determinaret, sed per solam vocationem excitantem, & preparantem voluntatem nostram: vt cap. præced. & in disput. 88. cap. 8. notauimus. Neque vsquam Concil. Arausicum, aut Aug. examinat, quænam esset prior natura determinationis nostræ voluntatis an cooperatio diuina.

Nihilominus sententia prædicta mihi non probatur. Tum quia impossibile est, in aliquo momento priori naturæ voluntatem nostram prius operari, aut determinari, quod idem est, quam Deus cum illa operetur: quare nec in æternitate intelligi potest illius determinatio sine decreto Dei concurrendi cum illa. Tum etiam, quia hæc opinio non nihil gratiæ Dei cooperanti derogare videtur: cum enim voluntas nostra non tantum indigeat ad operandum excitatione, sed etiam cooperatione gratiæ: vt consentiat excitationi; indigeat etiam cooperatione, vt se determinet ad consensum: quomodo ergo in aliquo priori intelligitur determinata sine gratiæ cooperatione? Quare modum illum dicendi: *Quia ego loquor, Deus vult me loqui, non contra: & quia ego credo, Deus vult me credere, non contra: ego quidem nulla ratione concederem, cum ipse actus credendi, & loquendi tribuatur arbitrio sine gratiæ cooperatione.*

Demum aliqui hac oppressi difficultate dicunt, Deum ab æterno non voluisse, & decreuisse opera

Vázquez in 1. part. Tom. I.

nostra sigillatim, sed in genere tantum, & in vniuersum definisse paratum cum quouis operari iuxta ipsius determinationem. Hanc vero opinionem amplectuntur, vt defendant ex præfinitione Dei nullam necessitatem imponi nostræ voluntati contra libertatem suam. Tum etiam, quia si necessarium esset Deum præfinire, & velle ab æterno opera etiam gratiæ sigillatim, sequeretur, iis, qui non operantur, neque vocationi consentiunt, aliquid necessarium deesse ad operandum, scilicet decretū illud, ac proinde mirum non esset, si non operarentur, cum sine illo operari non possint.

Horum tamen sententia mihi non probatur, *Non probatur.* eamque impugnauit disput. 78. cap. 1. nam cum necesse sit non tantum in aliquibus, sed etiam in omnibus operibus distinctam, & singularem Dei providentiam fateri: necesse quoque est voluntatem Dei circa singula opera nostra sigillatim versari. Ita enim necesse est, cōcedere singularem Dei voluntatem circa singula fuisse ab æterno: sicut necesse est, in tempore Dei voluntatem circa singula distincte versari: atqui Deus in tempore singula nostra opera voluntate sua distincta, & singulati operatur: ergo etiam ab æterno nobiscum fieri sigillatim præfinit. Id autem ex Patribus expresse tenent Grego. Mag. lib. 12. Moral. cap. 1. ubi inquit: *Cuncta Deus præfinit, ante secula decreuit, qualiter per secula disponit.* Idem docuit Elias Cretensis in orat. 1. Nazianz. in illa verba: *Sed ne omnium voces, &c.* & Concil. Valent. sub Lothario Imperatore cap. 3. Fulgentius lib. 1. ad Monimum capit. 14. & passim Aug. cum asserunt, Deum ea ab æterno prædestinasse, quæ in tempore voluntate sua facturus erat. Quod vero Damascen. negat, æternam præfinitionem in Deo nostrorum operum, alium sensum habet, de quo seq. cap. dicemus.

Porto Deum non deesse in necessariis ad operandum, etsi a se ab æterno non decreuerit, cum his, aut cum illis concurrere: exiis, quæ diximus disput. 93. cap. 6. aperre deducitur. Idem quim dicendum est de æterno Dei decreto, quo definiuit in tempore concurrere, atque de ipso concursu, & cooperatione, quia non aliter necessarium est decretum Dei ad operandum, quam ipsa Dei cooperatio: hæc autem omnibus negatur, qui gratiæ excitanti respondere nolunt, aliis vero qui respondent cōceditur. Sed cum hæc Dei cooperatio vni cuique sit in sua potestate, & iis tantum desit, qui consentire nolunt, ideo dicendum est, nihil vlli deesse necessarium ad operandum necessitate antecedenti, nec tamen necessarium necessitate committanti: ac proinde talis defectus libertati arbitrij non aduersatur, vt loco citato explicauimus. Idem prorsus de æterno decreto Dei concurrendi nobiscum sentiendum est: quia non alio modo est necessarium, quam ipsa in tempore cooperatio. Hac ego ratione negari non debet, id quod omnibus hæcenus indultatum fuit, & summæ perspicacitati, & curæ diuinæ prouidentię summo opere conuenit, videlicet Deum, singula opera nostra, quæ facit nobiscum in tempore, ab æterno distincte, & sigillatim præfinit.

CAPVT VI.

Vera sententia, & ratio concordie arbitrij nostri cum præfinitione Dei.

Iea, quæ à nobis tradita sunt disput. 68. cap. 4. & disput. 88. attentius considerentur non minus

K k k 3

facile

Gregorius 3

33

Elias

Concil. Val.

Fulgent.

August.

Etiā cum

Deum non

decreuit cum

aliquo con

currendi, non

deest in ne

cessario.

34

Ex præfinitione Dei solum colligitur necessitas consequens.

facile erit, libertatem nostram cum prædeterminatione, & decreto Dei, quam cum præscientia conciliare. Huius igitur concordia talis est ratio. Cum ex præfinitione Dei solum colligatur in nostris operibus necessitas consequens, aut comitans, quæ eadem omnino est, nostra libertas nullo modo lædi, aut impediri potest, sed, dum decretum Dei illam comitatur, recte cum ea consistere potest. Hunc modum concordia: veritatem, & faciliorem existimo, tum quia nihil gratiæ præuenienti, nihil comitanti derogatur, tum etiam, quia eodem pacto voluntas Dei, atque eius scientia cum nostra voluntate concordat, ut subinde patebit. Qui vero auctores huic nostræ sententiæ ad stipulentur, cap. seq. videbimus.

Fundamentum supponitur, pro illius explanatione.

Cæterum ad illius confirmationem præmittendum est id, quod in hac disp. & præced. cap. inculcauimus, & disp. 68. cap. 4. ex professo tractatum est: videlicet necessitatem, quæ aliquando dicitur necessario futurum, aliam esse præcedentem, aliam sequentem. Antecedens est, quæ provenit à causa, ex qua futurus est effectus, vel ab aliquo priori, quo posito, non potest talis effectus non fore: atque illud ponit non est in nostra potestate. Dixi, prius ordine causæ, nam quod est prius duratione, non impedit libertatem nostram, ut ibidem ostendi: hac necessitate necesse est crastina die solem oriri, & ignem calefacere. Sequens vero necessitas est, quæ sequitur positionem effectus futuri: nam ex eo, quod res dicitur, & supponitur esse futura, dicitur etiam necessario esse futura. Hæc etiam necessitas vocari potest comitans, quia simul est cum ipsa re futura.

Arbitrij nostri cum divina præfinitione concordia explicatur.

Hoc iuncto fundamento, prædicta concordia hac ratione explicatur. Definitio Dei, quæ præfinit opera nostra singulatim, non præcedit ordine causæ determinationem nostræ voluntatis, sed illam comitatur: ergo necessitas, quæ sequitur positionem decreti Dei, est comitans, aut sequens nostram libertatem, & determinationem: nam eo ipso quod supponimus decretum Dei absolutum, supponimus etiam determinationem consensum, & libertatis nostræ, quæ diuina voluntas comitatur: ergo necessitas, quæ expositione decreti Dei inferimus, sequitur etiam determinationem nostram, vel illam comitatur: ac proinde cum illam non præcedat, nec eam impediatur, nec villo modo lædere potest: sed ex se determinatam, & integram supponit. Sicut enim necessitas, quæ inferitur ex scientia Dei non impedit libertatem nostram, quia consequitur nostram determinationem, eodem pacto necessitas ex decreto Dei libertatem nostram non tollit, quia ipsam ex se determinationem supponit, atque ita posterior est. Ut autem hæc ratio id, quod contendimus demonstraret, assumptum in eum probandum est: videlicet præfinitionem Dei ordine causæ non esse priorem nostræ determinatione, sed simul cum illa esse iuncta id, quod postulat. Primam autem in præfinitione capite auctoritate: deinde in sequenti ratione id confirmabimus.

Primum ergo id, quod dixi, colligitur ex Damasc. lib. 2. de fide capite ult. ubi sic ait: illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præfinit enim ea etiam, quæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt, at non ita ea præfinit. Subiungit rationem: neque enim vitium admitti vult, nec rursus virtutem assert. Et lib. contras Manicheos non longe à fine

idem mapis aperte his verbis expressit: Quæcumque ita sunt, Deus ea quæ voluntario à nobis futura sunt, necesse est, quæ in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutem ac vitium præfinit, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt. Concedit igitur utrobique Damascenus, opus virtutis, & peccata à Deo solum præfiri, non tamen præfinit, cum ait, Ea demum præfinit (scilicet Deus,) quæ in arbitrio nostro minime consistunt; quia aliqui, cum peccatum & virtus sunt in nostra electione, & arbitrio, si Deus virtutem præfinit, aliqua quæ sunt in nostro arbitrio præfinit. Neque vero Damascenus negat præfinitionem horum operum, ut recentiores superiori capite commemorari negant, hoc est, decretum operum distincte, & singulatim, ut particula præ, temporis, aut durationis antecessorem solum significet; esset enim falsum, & contradicendum Patrum, quos ibi allegauit: sed ita significet antecessorem, & ordinem prioris respectu nostræ determinationis: ac si dicat, non præfinit Deus, quid nos acturi simus, nulla habita ratione consensum, & determinationis nostræ, sed cum illa, & prout ipsa postulat, decernit: & eodem sensu dixerat capite decimo octauo eisdem lib. in principio, & in illo capite vitio allegato. Deum præfinit ea, quæ non sunt in nostra libertate, hoc est, ex se ipso ea decreuisse ante nostrum consensum, & determinationem, nullo modo ad illam attendendo. Ratio etiam, quam subiungit Damascenus, hunc sensum confirmat, ut statim patebit.

Verum etiam cum Sanctus Thomas, hoc testimonium Damasceni sibi obiecit in hac questione 22. art. 1. argumento primo, ad probandum, homines à Deo non prædestinari, respondet, Damascenum negasse præfinitionem nostrum operum, hoc est, (inquit ille) impositionem necessitatis. Sentit igitur Deum non præfinit opera nostra, hoc est non impositionem necessitatis nostris operibus. Colligit autem Doctor Sanctus hanc interpretationem ex illis verbis, quæ Damascenus adiecit. Nec enim vitium admitti vult, nec rursus virtutem assert.

Cæterum meo iudicio alia est mens Damasceni. Nec enim vlla videtur ratio, cur potius vitium præfinit quam præfinit pro eo, quod est necessitate imponere. Quod si præfinit in eo sensu caperetur, eo sensu modo negaret, à Deo omnia præfinit, sicut etiam præfinit. Præterea illis verbis non explicauit ipse, quid nomine præfinitionis intelligere, sed rationem reddidit, cur non præfinit Deus opera nostra. Probat autem hoc modo. Opera nostra aut sunt peccata, aut virtutes: atque peccata Deus non præfinit, quia nullo modo fieri vult: similiter non præfinit virtutes, quia cogere nostram voluntatem, & necessitatem ei imponere, quod alio modo nequit intelligi, quam si nulla libertate determinationis nostræ ante ipsum opera præfinit, ut cap. 3. probauimus: ergo nulla nostræ voluntatis opera præfinit. Colligit itaque hoc pacto: si præfinit, cogere: sed non cogit, ergo non præfinit. Quare in illo cap. primo concludit his verbis. Quocirca diuina inflexio cum præscientia coniuncta præfinitionem efficit. Loquitur autem non solum de his, quæ non sunt in nostra potestate, sed etiam de his, quæ in ea sita sunt. Illa ergo inquit, à Deo præfinit, (quod tamen antea negauerat) sed præfinitione cum scientia coniuncta, Præuidens enim Deus determinationem nostræ

nostræ voluntatis eo modo, vt capite sequenti explicabitur, præfinit consensum illius, & opera, nullam ei necessitatem imponens. Ex quibus etiam constat, Damascenum alio modo de præfinitione humanarum actionum loquutum fuisse, quam Patres citatos per se capite, & particulam præ, in alio sensu vltimasse. Nam apud alios Patres significat temporis, aut durationis antecessionem, apud Damasc. vero solum denotat antecessionem causæ.

Deinde idem probatur ex *Ansel. in epist. de concordia præscientiæ, & prædestinationis cum lib. arb. cap. 2.* vbi tractans questionem illam, quo pacto ea, quæ Deus prædestinavit, libere eueniant, cum ex prædestinatione Dei sequatur necessitas; postquam dixit, actum etiam peccati secundum substantiam, & entitatem à Deo præfinitur, respondet questioni in hunc modum. *Dubitari itaque non debet, quia eius præfinitio, & scientia non discordant, sed sunt præfinitio, ita quoque prædestinat.* Et paucis interpositis ostendit, in quo prædestinatio, & præscientia conveniant. Pariter igitur quantum necesse sit fieri, quæ præfinitur, & quæ prædestinatur, quædam præcitata, & prædestinata non eueniunt ea necessitate, quæ præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rem sequitur. Docuerat autem capite i. necessitate antecedenti tolli libertatem arbitrii. Cum ergo ait, quædam prædestinata non euenire necessitate antecedenti, ea intelligit, quæ sunt in nostra libertate constituta: ac proinde sentit, decretum Dei non præcedere nostram libertatem; nam si prius esset nostra libertate, necessitatem antecedentem nobis induceret, quam tamen ipse negat. Id quod ratione probare necesse est.

CAPVT VII.

Præfinitio Dei in præscientia non esse priorem determinatione nostra voluntatis, ratione ostenditur.

Reliquum est, vt ratione confirmemus id quod præcedenti cap. assumptimus, ad probandam concordiam nostræ libertatis cum prædestinatione diuina: nempe decretum diuinæ voluntatis circa singula opera nostra etiam gratiæ non esse ante determinationem nostram. Prius tamen tria supponenda sunt. Primum est eundem esse ordinem assignandum in æterna præscientia inter Dei decreta secum relata, aut inter ipsa, nostramque voluntatem, & determinationem illius, qui etiam est in tempore inter ea, quæ Deus facit, aut quæ Deus, & nos facimus, vt explicauimus disp. 82. c. 6.

Secundo not. est, Deum in nobis duo tantum genera operum efficere: vnum ante libertatem nostram, cuiusmodi sunt cogitationes, & subiti motus voluntatis, quæ si ad gratiam pertineant, dicuntur esse gratiæ operantis, excitantis, & præuenientis, quam Deus in nobis sine nobis, hoc est, sine nostra libertate operatur: alterum est eorum, quæ Deus nobiscum, hoc est, cum nostro consensu facit: quæ si sint gratiæ, ad gratiam comitantem, cooperantem, & adiuantem pertinent: in his vero ita Deus efficacitate sua comitatur consensum nostrum, vt nihil prius vel sola ratione sine nobis operetur, sed mixtum, non sigillatim, simul, non vicissim nobiscum concurrat. Neque vero solum in ipso consensu nihil est

prius à Deo, quod pertineat ad gratiam comitantem, sed neque in ipsa applicatione ad consentiendum aliquid est prius à solo Deo, præter vocationem ex parte intellectus, & primum motum subitum ex parte voluntatis; sicut à nobis probatum est disp. 88. præsertim c. 5. Tertio ex disp. 67. supponendum est, Deum certissime cognoscere quid nostrum arbitrium cum hac vel illa vocatione faceret, si ea excitaretur.

Ex his igitur probatur, decretum voluntatis Dei, quo definitur opera nostra ordine causæ non fuisse prius nostra determinatione: Deus enim in nobis duo tantum operatur: vnum ante consensum nostrum, alterum cum illo: & in eo solum, quod ante consensum operatur, prior est eius operatio, quam cooperatio nostræ voluntatis, & determinationis liberæ: nam ea, quæ cum consensu nostro operatur, ita simul nobiscum efficit, vt nullo modo eius efficacia nostra antecedit, atque eundem ordinem inter diuinum decretum, & nostram voluntatem in præfinitia debemus assignare, vt in prima suppositione notatum est: ergo nullum opus liberum nostræ voluntatis à deo fuit præfinitum ante determinationem liberam nostræ voluntatis. Merito igitur dixit Damasc. ea, quæ non sunt in nostra potestate, Deum præfinitisse, hoc est, ante nostram determinationem decreuisse: quæ vero sunt in nostra libertate, non præfinitisse, hoc est, sine nostro consensu non prædestinasse: sicut n. in tempore facturus erat, ita etiam in præfinitia decreuit. Quare, qui docent, prius à Deo nostram voluntatem ad consentiendum applicari, quâ ipsa consentiat, & se determinet, fateri etiam debent, hac applicationem Deum definisse ante nostram determinationem. Qui vero multo probabilius docent, nihil ex parte Dei esse prius determinatione nostra præter vocationem, & primum motum voluntatis, & putant applicationem illam esse superuacaneam & impossibilem, quorum sententiam contra *Gregorium disp. 88. c. illo* ite quod sumas, consequenter affirmare debent, nihil Deum sine nostra determinatione prædestinasse, præter vocationem in intellectu, & primum motum non de liberatum in voluntate.

Cæterum hæc præfinitio Dei nec simul esse posset cum nostra determinatione, nec cum ea concordare, nisi præcederet scientia Dei, non quidem eius, quod absolute futurum est: hoc enim Dei præfinitioem supponit: sed eius, quod sub conditione cognoscitur, cuius præfinitia omnem prædestinationem antecedit. Optime enim cognoscit Deus, quid sub conditione futurum esset hoc modo: Si Petrus tali mea vocatione excitaretur, neque illi deesset concursus meus, quem vocatio tali arbitrio cõtemperata postulat, & qui sine vi, & miraculo negari ei non potest, absque dubio consentiret: cetero vero tali cogitatione vocaretur, ipse mihi deesset, & ideo ego non deberem illi cooperari. Cum ergo Deus has varias, & innumeras combinationes vocationum cum arbitrio cuiusque præficiat, & quid cum qualibet earum arbitrium esset facturum; in primo signo decernit absolute tali vocatione aliquem præuenire, cui responsum esse sub conditione nouit, in secundo vero decreuit cum determinatione voluntatis, quam sub conditione nouerat absolute cooperari, ac proinde nostram determinationem suo decreto non antecedit, sed comitatur:

Kkk 4

& ne.

Tertium.

42

43

Ratione scientiæ conditione præfinitio Dei operis voluntatis libertatis non laesa.

& necessitas, quæ talem comitantiam consequitur, nullo modo laedere potest nostri arbitrii libertatem, quæ simul cum præfinitione posita est, ut ex supra dictis patet.

44

Quod si non præcederet scientia sub conditione, non videtur, quæ ratione decretum Dei absolute circa opera nostra non præcederet omnino determinationem nostram, aut illam sequeretur, quorum utrumque falsum est. Ex illo enim prior consequeretur necessitas antecedens in nostris operationibus, ut superius dictum est. Ex posteriori vero sequeretur, nostram operationem esse priorem concursu Dei: alio enim modo non potest deus decreto suo comitari consensum nostrum, & determinationem, quam prius cognoscendo, in quam partem postulat arbitrium inclinari. Perinde ergo est, dicere, prædestinatum à Deo necessario est futurum. Nam sicut eo ipso quod dicitur aliquid prædictum, supponitur esse futurum, & ita idem est prædictum esse futurum, atque futurum esse futurum, ut ait *Anselm. in prædicto opusculo, cap. 1.* ita etiam, cum dicitur aliqua nostra libera operatio à Deo prædestinata, dicitur etiam esse futura à nostro arbitrio, & libera illius determinatione: ac proinde necessitas, quæ dicitur, prædestinatum à Deo est futurum, est consequens nostram libertatem, & cum ea bene concordat id quod expresse notavit *Anselmus in eo opusculo, cap. 2.* cuius verba præced. c. recitauimus. Hæc eadem scientia sub conditione, quæ providentiæ diuinæ sternit viam, ut illa nostra libera voluntas, ut in tempore cum nostra voluntate eadem suauitate concurret, nec illi villo modo noceat.

Anselm.

45

*Definitio
causæ libera
ex Alm.
probat.*

Quocirca recte *Almainus tractatu 1. Moralium c. 2. in princ. & in medio* causam liberam hoc modo definit: *Que posita omnibus præiis ad operationem requisitis potest velle, & non velle.* Addit, data opera se dixisse præiis, non comitantibus, quia licet posito concursu Dei, aut decreto concurrenti cum voluntate nostra quod idem est, non possit voluntas nostra non operari, hoc tamen non tollit eius libertatem. Quia concursus Dei, & voluntas concurrenti cum voluntate nostra non est de præiis necessariis ad operandum, sed de necessario comitantibus. Huius nullam amplius ipse reddit rationem. Ea vero est facillima, quæ hæcenus à nobis assignata est, quia scilicet necessitas, quæ sequitur ex præiis ad operandum, est necessitas præcedens nostram libertatem, ac proinde illam tollit: quæ vero sequitur ex nostra determinatione, & comitantibus illam, qualis est Dei concursus, est necessitas consequens nostram libertatem, atque ipsa libertate est posterior, & ideo ei nullo modo nocere potest. Recentiores autem aliqui *Almainum* reprehendunt, quod dixerit concursum Dei non esse de præiis requisitis ad operandum; quandoquidem sine illo nihil potest voluntas operari. At hæc ratio solum probat, concursum Dei esse nobis necessarium ad operandum, quod *Almainus* non negat: non tamen probat esse aliquid præiium, cum reuera non sit, sed comitans nostram operationem, quod contendit *Almainus*.

46

Ea vero, quæ diximus, faciliora sunt ad intelligendum, si consideremus decretum voluntatis Dei non esse actum elicatum supra essentiam sed esse nudam essentiam ipsius, addito respectu rationis

ad effectum futurum. Sic enim facilius intelligimus, voluntatem Dei semper accommodari rebus, ad quas ordinem habet, cum in se nihil magis habeat, quando vult has res fieri, quam cum vult eas non fieri: & ad hoc forsitan videtur respicere *Ioannes Medina*, quem in primo capite retulimus. Nihilominus ratione, quam superius explicauimus, non minus facile defendere possumus nostram libertatem cum decreto Dei, etiam si esset actus elicatus, & additus essentia: ut ex dictis perspicuum est, quamvis hanc sententiam falsam existimem, ut notavi supra disp. 8. cap. 2.

Hanc modum concordie diuinæ voluntatis cum nostra indicare videntur *Alexander 1. p. q. 26. m. 7. a. 2. ad 1. Bonauent. in 1. d. 4. o. ar. 2. q. 1. cum allerunt*, non obstante Dei providentia, quæ disponit res fore, actus nostros esse voluntarios & liberos, quia diuina voluntas non est tota causa, sed cum libero arbitrio, quod cum sit proxima causa, modificatur concursum primæ. Id quod non esset verum, si efficacia Dei prior esset determinatione nostræ: at vero quia simul est, & iuxta id, quod eligit voluntas nostra tali vocatione excitata, concursus Dei ipsi contemporatur; cum illam conseruat, ut explicatum est. Quorum doctorum sententia, nescio qua de causa à *S. Thoma* reprehendatur, q. 19. a. 8. Quod enim inquit, ex illa sequi liberum effectum esse præter intentionem Dei, si ex particulari causa modificante primam, ratio liberi sumenda est; quæ ratione recte colligatur, ego non video. Nam quod effectus exeat liber, quia à proxima causa libera producit, non obest, quo minus ex voluntate Dei eueniat, quandoquidem ipse decreuit cum causa libera iuxta id, quod illa postulat, concurrere: hoc autem satis est, ut effectus non sit præter Dei intentionem.

Illud autem certissimum est, nempe rationem liberi actui nostro non conuenire per respectum ad primam causam operantem, neque ideo esse liberum, & humanum, quia solus Deus illum fieri decreuerit, & fecerit; sed potius per respectum ad modum operandi causæ creatæ: quo variato quantum maneat actus secundum substantiam idem, & concursus Dei eodem modo, actus non manet liber. Libertas enim est solum relatio rationis ad modum operandi cum indifferentia liberi arbitrii creati; quæ quidem indifferentia deficit hoc solo, quod non ad sit consideratio ex parte intellectus, ut 1. 2. q. 7. art. 6. fusius dicemus. Neque vero puto nostram sententiam *S. Thomæ* & aliorum Scholasticis, quos cap. 3. memorauimus, aduersari: illi enim non docent præfinitionem Dei priorem esse determinatione nostra: solum enim asserunt, quod opera nostra sigillatim à deo fuisse definita, & non negamus. Cæterum difficultati propolice de concordia nostre voluntatis cum diuina eos non conuenire, notauimus, aduersari: illi omnino satisfacere, cap. 3. notauimus. Porro *S. Th.* non concessisse necessitatem antecedentem in humanis operibus optime notavit *Waldensis* in illo 3. citatus. Eam autem concedere deberet, si existimaret, deum ex se ipso ante determinationem nostram præiis opera nostra determinasse.

Nonnulli tamen recentiores Theologi existimant, voluntatem nostram à prima causa ita determinari, ut nostra voluntas efficaciter primæ causæ non modificetur: id quod definitum esse putant in *Concilio Aransicano c. 2. canon. 4. vbi damna-*

fur, qui dixerit voluntatem nostram a Deo expectari, & non potius praeueniri. Si enim voluntas nostra modificatur efficacitate diuinæ & Deus se illi accommodat, quia videt sub conditione, quo inclinaretur voluntas tali gratia praeuena: efficitur, ut Deus expectet voluntatem nostram. Cæterum prædicti doctores non satis perspectam habuerunt hæresim Semipelagianorum, contra quam canon ille editus fuit, ut enim cap. 5. notauimus, ibi solum damnatur, qui dixerit aliquid bonum opus ex nobis præcedere, propter quod gratia nobis donetur: de modificatione autem, & determinatione primæ causæ per secundam ne verbum quidem dixerunt Semipelagiani, nec habet Concilium; nec ipsius instituto de hac re quidquam definire conueniebat: agebat enim tantum contra Semipelagianos. Porro voluntatis nostræ concursus, & determinationem non esse sine gratia cap. 5. monstrauimus. Deum etiam se accommodare secundis causis, & iuxta id, quod postulat cum illis operari, nullus Philosophus inficiari potest.

CAPVT VIII.

Corollaria præcedentis doctrine.

Ad maiorem eorum, quæ diximus, perspicuitatem, necesse est, nonnulla adiciamus. Primum est veram esse opinionem eorum, qui dicunt, Deum præfuisse opera nostra sine nobis, hoc est, ante nostram liberam determinationem, non quidem explicite, & singulariter in se ipsi, sed in congrua vocatione, quam cum præscientia eius, quod esset futura, nobis prædestinauit. Sicut n. congruam vocationem largitur nobis in tempore ante nostram liberam determinationem, ita etiam eam præfinit, cum eundem ordinem seruet in prædestinando ab æterno, & in tempore operando: in ea igitur sicut in causa, cuius congruitatem optime nouit, consensum liberum, & operationem nostram præfinit. Sed hæc præfinitio non impedit libertatem, sicut neque congrua vocatione: quia cuiuslibet liberum est vocationi congruè resistere, aut obtemperare, ut disp. 98. cap. 5. diximus.

Est tamen obseruanda differentia inter cogitationem congruam ad recte operandum, & tentationem, ex qua Deus nouit futurum peccatum, quod cum in vtraque veluti in causa sit consensus noster, siue in opus virtutis, siue peccati, nihilominus non dicitur Deus vlllo modo præfinire peccatum, etiam si prædestinet cogitationem, ex qua nouit esse futurum; dicitur tamen quodammodo prædestinare opus virtutis in ipsa vocatione. Ratio vero discriminis est, quia cum ex se antequam præfinit vocationem, desideret voluntatem antecedenti, ut homo consentiat bonis cogitationibus, & operibus, & ex hac voluntate vocationem congruam prædestinet, recte dicitur in ea vocatione consensum prædestinare, cuius voluntatem ipsa vocatione præfinit. At vero quia Deus non vult ex se fieri peccatum non solum cum deformitate, sed neque secundum substantiam; idcirco dum præfinit cogitationem sine nostro consensu, ex qua scit nos libere peccaturos, non dicitur in ea præfinire, ut in causa ante nostrum consensum opus peccati etiam secundum substantiam. At vero in sequenti instanti opus peccati secundum

substantiam præfinit, quia decernit cum voluntate concurrere, sicut ipsa exigit, hæc tamen voluntas in Deo non est antecedens, sed comitans nostram ac proinde nulla voluntate antecedente adhuc in causa prædestinat opus peccati secundum substantiam. Porro autem Deum non velle voluntatem antecedenti, opus peccati etiam secundum substantiam manifestum est. Sicut n. ex se præcipit non fieri, ita etiam ex se desiderat ut non sit, ut patet ex dictis disp. 83. c. 2.

Secundo obseruandum est, eundem ordinem, quem ponimus inter concursus Dei, & determinationem nostram in operando, inter definitionem æternam Dei, & determinationem etiam nostram in præsentia, seruandum esse inter Deum, & causas alias naturales, scilicet ignem, aquam, &c. Itaque sicut Deus non prius concurret ad calefaciendum, quam ignis cooperetur: ita prius præfinit concurrere cum igne, quam videat ignis determinationem. Hanc autem videt, tum ex eo, quod naturam illius, & determinationem ad calefaciendum cognoscit, iuxta quam postulat concursus qui sine vi, & miraculo contra internam illius inclinationem negari non possit: tum etiam ex materia applicatione quam comburit. In tempore autem non prius applicari a Deo ignem ad comburendam, nec Deum prius operari, quam ignis comburat, sed simul, patet eodem, quo de operibus arbitrij probauimus disp. 88. cap. 5. quia scilicet effectus ignis ita est totus a Deo, totus ab igne, ut cogitatione discerni non possit, quid sit ab vno, quid ab alio. Multo ergo minus re ipsa, & ordine reali causæ potest aliquid esse prius alio in ipso ignis effectu. Cumque præfinitio eundem ordinem habeat cum concursu secundæ causæ in præsentia, quem habet in tempore, sequitur, Deum ab æterno effectum causarum naturalium decreuisse simul cum illarum cooperatione. Cum vero damasc. ait, ea præfuisse Deum, quæ non sunt in nostra potestate, particula illa præ, non denotat antecessiorem respectu causæ naturalis, sed respectu nostræ voluntatis. libere consentientis: ac si dicat, quæ a nostra voluntate non pendent, ante illam præfinit, quamuis non ante concursum causæ naturalis: quæ vero a nostra voluntate futura sunt, non ante illam, sed cum illa decernit.

Tertio ex dictis in tota hac disput. & disputat. 82. c. vlt. colligitur non solum non præfuisse Deum nostra opera libera ante determinationem voluntatis nostræ, verum etiam nec præfinire antea potuisse. Ratio est manifesta, quia cum ordo prioris, & posterioris inter decreta diuinæ voluntatis assignari debeat, non ex solo Dei beneplacito, sed ex vario ordine rerum, quæ a Deo prædestinantur, efficitur, debere esse variationem inter res ipsas, ut in decreto Dei diuersitatem assignemus: alioqui, ut ibi notauimus, rebus eodem prius modo se habentibus, frustra diceremus Deum vno, & alio modo decernere: quia ipse non dicitur varie vnum, aut aliud definire ex varijs actibus elicitis a sua essentia, sed eadem essentia in se inuariata per varios respectus rationis ad ipsa obiecta: quare si obiecta eodem modo se habent, semper erit in Deo idem modus prædestinandi, & præfiniendi: deus autem concurrens cum nostra voluntate non solum non prius agit, nec eam prius ad operandum applicat, quam ipsa cooperetur, verum etiam non potest: hoc enim ratio facta disput. 83. cap. 5. manifeste

*Quo pacto
Deus concurrat
& præfinit
causas effectus
naturalium.*

*Non potuit
Deus præfinire
opera libera
ante determinationem
voluntatis.*

nifiste etiam probat: ergo præfinitione sua Deus nequit præcedere voluntatis nostræ determinationem, ac proinde nec libertatem illius præfinitione ipsarum operationum impedire. Quare solum potest libertatem tollere prædestinando aliquid, quod præcedat cooperationem nostram, & liberum consensum. Hoc autem debet facere vno ex tribus modis. Vel perturbando cogitationem, ut non sit in nobis plena potestas deliberandi, vel vñione hypostatica, vel vñione beatificæ: ex quibus duo posteriores modi solum impediunt libertatem ad peccandum, sed ad alia opera bona liberam relinquunt voluntatem: tamen vñio etiam necessario moueat ad dilectionem Dei: at primus ille modus libertatē omnino tollit. Alio vero modo tolli non potest libertas nostræ voluntatis, aut impediri: quia, ut recte docet S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 2. voluntas nostra à nullo obiecto creato necessario moueri potest, quandiu vñs rationis sine perturbatione manet.

*Alique locum-
tenes causas
de concurren-
tia Dei &
voluntatis
explicatur.*

Quarto nota, varios modos loquendi per causales propositiones concedi posse inter decretum Dei, seu concursum illius, & cooperationem nostræ voluntatis, non quia illis significemus prius Deum operari, aut velle operari nobiscum, non habita ratione cooperationis nostræ, vel contra (neutrum enim fieri potest, ut probatum est) sed ut denotemus diuersum modum (ut dici solet) dependentiæ aut connexionis vñius causæ in operando à cooperatione alterius: verbi causa, dicere licet: quia Deus vult me consentire, & mecum ad consensum cooperari, ego consentio: quo modo loquendi indicatur solum nostram operationem pendere ab adiutorio, & concursu diuini voluntatis, non quia illa prius in nobis operetur consensum, sed quod sine illa tanquam prima causa cui essentialiter subditur operari nullo modo possumus. Similiter dicere possumus: quia ego volo, & consentio; Deus vult me consentire, & velle: quo solum indicatur Dei voluntatem, & concursum egere nostra cooperatione tanquam causa secundæ, & proxima modificante, & determinante suam efficacitatem, addimus autem, ita mutuo connecti in consensu voluntatis primam causam, & secundam, ut secunda essentialiter subdatur & pendeat à prima, ut pote excellentiori ad totum effectum & omnem rationem illius; & hac fortasse ratione dixerunt aliqui, primam causam prius operari, quam secundam in eodem opere: quia secunda subditur primæ, tanquam ab ea in omnibus essentialiter pendens: quod sibi genus prioritatis ad prioritatem dignitatis & excellentiæ reduci debet, ut dixi cap. 5.

Postremo ex dictis inferitur, nullatione dicendum esse, ex præfinitione Dei aliquam imponi necessitatem nostræ voluntati. Nam quanuis concesserimus, ex præfinitione sequi aliquam necessitatem voluntati nostræ, quia tamen ea est posterior nostra libertate, & consequens illam, dici non potest, talem necessitatem imponi nostræ voluntati. Hoc enim modo loquendi denotatur necessitas antecedens, quæ sola imponi potest, nam quæ posterior est non imponitur, imo postponitur.

An, si prima causa necessario operaretur, nostra voluntas libere posset moueri.

Opinio Scoti. Cap. 2.

Quid senserit Gabriel & Corduba. Cap. 2.

Verior sententia Caietani & Cameracensis. Cap. 3.

Etiamsi nulla causa esset libera, effectus aliqui essent quidammodo contingentes. Cap. 4.

CAPVT I.

Opinio Scoti.

Quoniam ablata libertate primæ causæ, nulla secunda ex se libera esse potest: controuersia tamen proposita intelligitur facta suppositione, ut adhuc nostra voluntas ex se libera maneret, an prima causa necessario operante, ab extrinseco impediretur, quo minus libere ex se ipsa operetur. Hæc autem quæstio, licet ex suppositione impossibili procedat, non tamen censeri debet inutilis ad disputandum: ex ea namque facile colligimus, quæ sit propria radix libertatis actuum humanorum, quemadmodum ex alijs controuersijs, quæ ex aliquo impossibili procedunt, deduci solet ratio formalis alicuius, ut infra etiam disputat. 148. c. 1. videbimus.

In hac igitur quæstione sic intellecta prima opinio est Scoti in 2. d. 1. q. 2. §. Tertia positio dicit, essentis nostram voluntatem propter extrinsecum impedimentum primæ causæ tunc non operaturam libere, sed necessario. Probat primum quia causa, quæ mouet, in quantum mota, si necessario mouetur, necessario mouet: sed voluntas nostra mouet se ipsam, in quantum mouetur à prima causa: ergo quia tunc necessario à prima causa moueretur, necessario etiam se ipsam moueret. Maiorem propositionem explicat Scotus exemplo baculi, qui tunc necessario mouet lapidem, quando ipse necessario mouetur, tunc autem libere, quando ipse etiam libere mouetur. Voluntatem autem se ipsam mouere, in quantum mouetur à prima causa, parer, quia dependet ab illa essentialiter in operando: prima autem causa non pendet in sua operatione à secunda. Deinde sic probat: Prima causa penitus attingit effectum, quam secunda; ac proinde prius natura: quare si prima causa necessario operaretur, in illo priori intelligeretur effectus productus à prima causa, ac proinde ita necessario, ut non posset à secunda causa libere impediri.

Sed præterquam quod Scoti rationes infirmæ sunt, & posterior cum doctrina ipsius non satis constat, ut 3. c. videbimus, opinio eius mihi non probatur. Eam Caiet. impugnatur supra q. 19. art. 8. c. 1. q. 14. art. 13. omittis tamen illius rationibus ita possumus eandem confutare. Primum quidem si modo operandi Dei impediretur nostra libertas, modo operandi Dei impossibile esset voluntatem cum voluntas creata non possit non esse subiecta modo operandi Dei, impossibile esset voluntatem aliquando libere operari. Esset igitur etiam impossibile libertas ab intrinseco: quia impossibilis est actus, impossibilis est etiam potentia: ac proinde destruis id, quod supponebatur, scilicet voluntatem